

Aliud e-  
iusdem cir-  
ca famu-  
litium

sic dicens: Eadem quoque sententia subiaceat Clericus, si laico alicuius famulum se exhibuerit, & economi, aut alicuius alterius officij genere inseruerit. Qui & gradum suum, & nostrum Decretum contemnens, quiduis horum fecerit, arbitrio Prælati puniatur. Valde enim absurdum est, ut qui ad Altissimi ministerium consecrati sunt, hi se laicorum & maxime seminarum famulos patiantur. Hæc illud. Iuxta quæ si Clericus in sacris villicum agat, qui in Indiis economi solet nomine compelli, vulgò Maior domo, pœnæ subiacet declarata, ab Episcopis infligenda. In officio enim tali multa exercentur indigna, propter quæ tales Indis & mancipiis in prædiis laborantibus exosi habentur: quod absurdissimum in regionibus istis apparet, ubi Ministri sacri paternam erga prædictos, ut eos in fide, & Christiana institutione promoueat, gerere sollicitudinem debent, iuxta dicta sapius, & sapius etiam repetenda; & opportunè, ut arbitror, quando & importunitas, iuxta Apostolum, debet in similibus adhiberi.

28 Quintum circa obligationem recitandi diuinum officium, dum Clerici iterfaciunt.

Certam esse obligationem generaliter loquendo.

Est illa certa generaliter loquendo, quia neque ratio, neque auctoritas ad immunitatem ab illâ suffragantur, cum potius videantur refragari. Ratio equidem, quia obligatio recitationis est certa, & causâ, quæ hic & nunc obtare possit, est penitus insufficientis; onus enim est horæ vnius, aut parum plus, quod ut leue fiat, in partes potest plures diuidi, & earum plures in ipsa equitatione percurrere. Neque est eadem ratio de ieiunio, à quo sunt qui itinerantem excusent; quia continua illa corporis iactatio, dum iumento vehitur, & diei integri spatium ex æquans, aliaque itinerantium incommoda, pondus diei & æstus portantium, vitales exhauriunt spiritus, & defatigationem non leuem adducunt. Pro quo videri possunt qui ita philosophantur apud Dianam Parte 11. Tract. 2. Resolut. 57. Est enim recitationis labor minimè comparandus, ex quo non sequitur defatigatio illa, & spirituum vitalium exhaustio, quæ debeat per cessationem ab ipso reparari. Et quidem in Cap. Clericus 91. dist. sic habetur: Clericus, qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio priuatus excommunicatur. Sic ex Carthaginensi Concilio 4. Cap. 49. Vbi vigiliarum nomine diuini officij recitatio venit, pro quo non impleto excusatio admittitur ratione inæqualitatis corpusculi, infirmitatis inquam, quæ ex humorem solet inæqualitate procedere. Et id Doctores aliqui ad debilitatem extendunt, etiam non grauem, quia Textus non grauem, sed leuem potius videtur indicare: sed certè, quæ cum morbo coniuncta sit; cum tamen alij plus exigant: talem scilicet, cui recitatio sit notabiliter nocitura, ut videri potest apud P. Thomam Sancium Lib. 7. Consil. moral. Cap. 2. Dub. 45. Vide Thomam à Iesv in Exposit. Regule Carmelit. P. 3. Cap. 8. Dub. 4. Vbi discrimen infirmitatis & debilitatis exponit. Et Cap. 12. Dub. 3.

Diuersam esse rationem in ieiunio.

Cap. Clericus 91. dist.

Quæ debilius excuset.

Non quilibet defatigationem sufficere.

Cap. idem. Glossa.

29 Quod verò defatigatio ex corporali labore pro excusatione admittenda non sit, constat ex eodem Capite, in quo sic dicitur: Clericus vitulum, & vestitum sibi artificulo, vel agriculturâ, absque officij sui dumtaxat detrimento parer. Sic ibi. Ex quo Glossa sic infert: Ergo Clericus non potest operas suas per totam diem locare, cum non debeat officio deesse ut 54. dist. Seruus. Hæc Glossa. Ex cuius illatione nos etiam sic inferre possumus: Ergo Clericus potest operas suas per diem ita locare, ut non debeat propterea officio deesse. Tunc sic. Ex tali operarum locatione necessario sequitur labor & defatigatio; & nihilominus non ideo est Clericus ab officij diuini obligatione excusandus, quia non quæuis, sed notabilis & insolita ad hoc à Concilio necessaria iudicatur.

30 Ex quo & pars altera probationis elucet, quod scilicet abusu prædicto constans scriptorum auctoritas refragetur: nullus siquidem inuenietur, qui aut in particulari, vel generali aliqua doctrinâ, ei patrocinium præstet: cum tamen omnes iuxta citatum Caput suas conforment Assertiones. Videantur quotquot de Horis Canonicis agunt, scilicet Summistæ omnes & præterea Nauarrus, Zerola, Bonacina, Diana, Hieronymus Garcia, Bassæus, & ex Societatis Auctoribus argumentum, ac præsertim P. Suarius, & elucidator P. Vincentius Tancredi, Cardinalis Toletus, P. Azor, P. Palaus, P. Bauny, P. Reginaldus, P. Filiucius, P. Valentia, P. Laymam, P. Escobar de Mendoza, P. Bufembaum, P. Thomas Sancius, P. Lessius, qui Lib. 2. Cap. 37. num. 54. expressè iterfacientis meminit, & tamquam certum statuit obligari, Nauarrum adducens. P. Sa, & complures alij, quorum illa est communis vox, quæ apud Cardinalem Toletum extat Lib. 2. Cap. 14. num. 2. dum sic ait: Officium enim, dum sit maxime proprium Clerico, non est prætermittendum, nisi graui urgente necessitate, ut aliud fieri non possit. Sic ille.

31 Circa infirmos tamen maior esse indulgentia solet: pro quo P. Sancius supra, & alij apud ipsum. Sicut & in Opere morali Lib. 1. Cap. 19. Quo non obstante tanta potest esse debilitas, ut pro excusatione sufficiat: nam & debilitatem ab infirmitate circa hoc Auctores discernunt, ut videri potest apud Bassæum verb. Hora Canonica 6. numer. 5. ubi cum P. Lessio locutus. Et obligationem talem sunt qui agnoscant: sed vident meliora, probantque; cum tamen deteriora sequantur. Ex quibus erat ille Indorum Parochus, qui cum iterfaciens ab alio fuisset domi, Parocho etiam Indorum, exceptus, & de onere recitationis inter cenandum ageretur, dixit, me audiente, se numquam, dum in itinere versaretur, recitare solitum, quia pro hoc habebat priuilegium. Et de illo interrogatus, subdidit, se, finito itinere, Confessario suum defectum aperire, & ab eo absolutionem accipere consueuisse. Quâ ratione etiam dicere poterat habere se priuilegium ad totum Decalogum, & Dei, atque Ecclesiæ præcepta omnia non implenda, quia eorum poterat post transgressionem à Confessario absolutionem similiter accepisse. Sed credo neque hoc illi potuisse priuilegium prodesse: Confessio enim cum vero dolore, & emendationis debet esse proposito, ut absolutionem, qui eam facit, consequatur. Vt est dogma Catholicum. Qui autem propositum non recitandi, quoties iterfecisset, habebat, suo illo priuilegio contentus, quomodo dolere poterat, & proponere, atque adeò inter se contrarias componere voluntates? Nuge sunt istæ; sed perniciosæ,

Abusu non recitandi Scriptores omnes refragari.

Illorum communis vox.

Card. Toletus.

Quid de infirmitate, & debilitate notabili.

Cuiusdam praxis insanda.

perniciosa; sed lethales, sed indignæ vsque ad honorem in iis, quos aliqua salutis animæ cura remorder. Et qui erga se talis, erga alios

qualem credamus? Quales & similes? Timendum sanè ne & similibus erga illos priuilegiis a-butantur. Sed iam ad alios.

# A P P E N D I X AD TITVLVM XVII. DE RELIGIOSIS INDIARVM.

Quam plura de illis sparsim dicta, que dabit Index; nunc adicienda aliqua, quibus Tractatio de re adeò eximiâ, & in qua tantum est Indica causa momentum constitutum, nostro pro modulo compleatur. De illis ergo inquirendum discussione perbreui.

**R**imo, An compellere possint Nouitios, ut legitimam Conuentui, in quo sunt professuri, relinquunt, alias eos ad Professiones non admittendo.

Resolutio negatiua.

Libertas renuntiantibus summa futura ex Tridentino.

Societati quantum ab illo delatum, & quam meriti.

Titulum sustentationis non suffragari.

bus v. simonia à Casu 10. Hoc autem stante, non est obligatio in renuntiantibus aliquid relinquendi monasterio, ut cum aliis probat P. Thomas Sancius in Opere morali Lib. 7. Cap. 3. num. 8. Hinc quæstio suborta an Religiosis interdictum sit inducere Nouitios ut aliquid Monasterio relinquant. Ad quam citatus Auctor num. 15. respondet Emmanuelem Rodericum Tomo 2. Summa Cap. 7. num. 11. Et P. Suarium Tomo 5. in 3. p. Disputat. 22. Sect. 5. numer. 5. cum aliis, quos ipsi adducunt, multis ostendere licitum esse inducere Nouitios ut donent seu relinquant sua bona Monasteriis. Ex eo autem quod addunt clarissime apparet quid sit in præsentis casu dicendum. Cum enim dicant id fieri posse, cautionem adiciunt, dummodo id fiat bono fine, & ita moderatè, ut relinquatur Nouitiis libertas ad disponendum de suis bonis. Quæ quidem resolutio communissima est; quamuis P. Suarez citato loco nihil pro ea speciali difficultate habeat, sicut neque in tota illa Sectione: in quâ quidem solidissime probat, licet non sit damnabile aliquid pro sustentatione exigere, quando pro illâ non habent Conuentus redditus necessarios, vel licet pro aliis habeant, non tamen pro eo, qui recipi desiderat: rarum tamen esse inusitatumque quoad Religionem virorum, ut ex pacto tacito vel expresso ita petatur aliquid in sustentationem, vel subsidium Religionis, ut aliter habitus, vel Professio denegetur: pro quo specialiter num. 12. Quod verò P. Sancius ibidem amplectitur, non est conforme sententiæ, quam postea docuit Lib. 1. Consil. moral. Cap. 2. Dub. 23. num. 1. ubi ait etiam si Monasterium sit diues, posse ab ingrediente aliquid pro sustentatione requirere, sicut etiam si aliquis sit ditissimus, potest dotem ab uxore exigere. Si enim res ita se habet, iam non relinquuntur libertas Nouitio ad disponendum de suis bonis, quam constat illæsam penitus remansuram. Et sententiam P. Sancij tenent alij, in quibus est Bonacina Tomo 3. Disputat. 2. Quæst. 3. Puncto 29. P. Palaus Tomo 3. Tract. 17. Disput. 3. Puncto 9. P. Valentia Tomo 3. Disputat. 6.

An Nouitij induci possunt, ut sua bona Religionis donent.

Pati sustentationem aliquam inusitatum affirmat P. Suarez.

P. Sancij doctrina non constans, cum Monasterium est diues.

Resolutio videtur clara, & indubitabilis; quia dispositio bonorum libera debet esse Nouitio: & sicut ante ingressum renuntiare in fauorem aliorum potuit, nec propterea debuit à Religione repelli, ita & post ingressum, quia non minus liber tunc est, quam antea fuerat. Vnde à Concilio Tridentino prouidentissime cautum, ut renuntiationes maximâ renuntiantium leges haberet interuentione Episcopi, aut eius Vicarij, cum aliis de quibus Sessio 25. Cap. 16. de Regularibus. Quia enim coactio aliqua timeri poterat, res hæc non est Nouitiorum voluntati; & Prælatorum Regularium directioni relicta, sed Episcopi aut Vicarij assistentiam voluit Concilium intra præfixum terminum expectari. In quo habet nostra Societas, cur grates summas Concilij Patribus & Sedi Apostolicæ reddat: quia circa hoc in Decreto prædicto, sicut & in aliis, minimè voluit comprehensam. Et potuit quidem iure optimo eadem in hac parte fidere, quia in ordine ad libertatem renuntiantium leges habet quamplures pietate & sapientiâ plenas. Et cum liberrimos renuntiantes velit; eos maxime, qui aliquid volunt eidem Societati donare: vnde pro illis maiores adhibet cautiones, & ampliora temporis spatia pro admisione designat, ne vnquam dicere renuntians possit, minus se liberum in tali dispositione fuisse.

2 De casu ergo proposito loquendo, ut iustificari talis compulsio possit, duæ rationes occurrunt. Prima ex titulo sustentationis, ratione cuius in Monialibus dotes admittuntur; immò & exiguntur, quibus non datis, Professio inculpabiliter denegatur. Sed hæc admitti nequit; quia Religionis redditus habent vnde alere alumnos possint, & ita ab ingredientibus non est generalis pro sustentatione petitio. Et ita tenent plures, quos adducit & sequitur P. Onate Disputat. 82. num. 227. & P. Lessius in Resolutioni-



Quasi. 16. Puncto 3. s. Multo vero. Quod & probabile reputat P. Vincentius Tancredi de Religione, Tractat. 2. Lib. 4. Disput. 12. num. 8. licet ipse cum P. Suario contrarium teneat, quae est etiam communissima sententia Sacris Canonibus & rationi prorsus consonans, pro qua specialiter P. Suarius consulendus, qui alios adducit, sicut & P. Tancredi num. 5. & P. Becanus quasi. 9. de simonia, num. 2.

Non posse exigi plus quam necessarium est pro alimentis.

3 Ne autem Religiosi, de quibus loquimur, praefatae sententiae se possint autoritate tueri, addendum est, vt ab eis res peragitur, omni videlicet probabilitate carere: quia Auctores, eam tenentes, id addunt, quod ab eisdem non seruatur. Dicunt enim non posse pro sustentatione plus exigi, quam reuera necessarium sit. Bonacina numer. 4. s. Haec tamen sententia. P. Sancius numer. 7. & alij, qui solum id, quod pro alimentis necessarium est, exigi posse permittunt. Quod quidem in viris iuxta id regulandum est, quod solet pro Monialibus assignari. Cum quo quidem non fiat integram legitimam, quae copiosa sit, aut maiorem eius partem postulari, negata alia Professione. In quo quidem peccatum videtur manifeste iniustitiae committi: qui enim ingressus est, ius habet ad Professionem, si aptus fuerit deprehensus; ad hoc enim Apostolica auctoritate Religio confirmata est, & ad hoc etiam Fideles bona sua, dum Monasteria fundarunt, liberaliter contulerunt. Atqui ex eo quod quis nolit bona sua Religioni donare, non est ineptus, quia in hoc liber est, & liberum prorsus esse voluere Pontifices, vt vidimus; & specialiter obseruanda verba Urbani IV. in Cap. Sane, Extra, de simonia, vbi post alia sic concludit: Illa dumtaxat, quae personae ipsae ingredienti, pure & sponte, & plena libertate, omnique pacatione cessante, dare vel offerre Ecclesijs, Monasterijs, Prioribus, domibus, & locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recipiuntur. Sic ille. Ergo si negetur Professio, iniuria fit manifesta; vnde & peccatum iniustitiae grauissimum in hoc agnoscunt graues scriptores apud Bassaeum verb. Simonia 3. num. 9.

Cap. Sane, Extra. de simonia.

Negare Religioni bona, vt argumentum parui momenti non sufficiens causa non admittitur.

Negatur, & clare demonstratur.

D. Bern.

tiam talenti ad vocationis suae effectum complent. Immo quemadmodum Religionibus, paucis exceptis, in quibus est nostra Societas, ab Apostolica Sede indultum est, vt in iure Religiosi Professi succedant, & sic legitima Monasterio obueniat: ita & consequenter videbatur statuendum, vt Religiosus legitimam suam Monasterio secum afferret, sicque & se & sua pariter daret, atque eo pacto filialem affectum erga futuram matrem testaretur.

5 Habent autem Religiosi Indiarum sic facientes aliorum consuetudinem suffragantem, de qua P. Suarius citat. 2. Sect. 5. numer. 5. ita scribit: Quin etiam aliquando in Religionibus virorum, praesertim quando egestate premuntur, solet aliquid ab ingredientibus ad eorum sustentationem postulari: vel si bona temporalia habent, solet ab eis ante Professionem exigi, vt vel ea Monasterio donent, vel saltem de eis non testentur in fauorem aliorum, vt ius hereditatis per professionem eorum in Monasterium transferatur: quod si hoc facere recusent, ad Professionem non admittuntur, sed potius expelluntur. Sic ille: qui dum consuetudinem praedictam praesertim esse ait, cum Religiones egestate premuntur, id egestate non extante etiam accidere, non obscure significat. Quid autem ad hoc respondeat, videti apud ipsum potest citat. numer. 12. vbi ait ex singularibus aliquarum personarum factis non debere argumentum sumi, & bonae fidei tribuendum, si excessus appareat ex opinione probabili practice non bene applicata. Vnde etiam alia, propter quae titulus sustentationis fundari possit, ita subdit: Quapropter quando multo plus exigitur, quam ad vnius personae in tali statu constitutae sustentationem commode sufficit, non video qua ratione aut titulo id honestari possit. Haec ille. In quibus notandum illud: Quando multo plus exigitur: si enim non sit notabilis excessus, exculari exactio poterit: cum sit etiam certum rerum pretia temporum lapsu succedere, & ita plus ad sustentationem requiri quam fuerit retroactis temporibus requisitum. Et videti pro eo potest Garcilassus Inga de la Vega in Historia generali Peruuij, Lib. 1. Cap. 6. vbi aliqua scitu digna congerit. Sic tandem concludit P. Suarius: Vltimo vero addo, si quid minus rectum fiat bono zelo, & ex ignorantia etiam culpabili, id satis esse ad excusandam Censuram huius Excoꝛgantis (citatae inquam Urbani IV.) vt Caietanus, & serē omnes notant, ex proprietate illius verbi Praesumant, saepe a nobis ponderata. Sic Doctor Eximius. Videatur Bassaeus verb. Simonia 3. num. 9. s. Aliquid: qui cum aliis satis solide contra huiusmodi pugnat exactiones, in quibus simoniam probar esse paliatam, & quaestio quidem communis est: sed pro Indiis debuit specialiter agitari, quia multa in illis licere contenditur, quae reuera non licent, cum debeant iuxta Iuris Canonici Oracula, & probatas Doctorum sententias regulari. De quo haec satis.

Aliquarum Religionum praesertim esse illam.

P. Suarez.

Vnde illam excuset.

Et quo pacto penitus reprobatur.

Quid ex eius doctrina fauorabile Religiosis.

6 Secundo inquiri pro Religiosis Indiarum potest: An licite circa gubernationem alternatiuis vii queant inter natos in illis, & in Hispania.

Et est illud in vltu non apud omnes, neque apud plures, & per Pontificias Bullas, ita constitutum, vt non videatur de convenientia posse dubitari. Sed certe, quod ad Bullas attinet, non multum videtur vrgere: Pontifices siquidem multa

Vfus alternationum, ex Bullis Pontificijs non plene multum.

conuenienter comprobati. Extrauag. Execrabilis. multa concedunt inuiti, & iuxta supplicantium narrationes, quae non sunt semper consonae veritati. Pro quo Ioannes XXII. in celebri Extrauag. Execrabilis ita loquitur: Execrabilis quorundam, tam Religiosorum quam Secularium ambitio, quae semper plus ambiens, eo magis insatiabilis creditur, quo sibi amplius indulgetur: & improbitas importuna petentium, à Nobis, & Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, non tam obrinnisse, quam extorsisse plerumque noscuntur. Et. Pro eodem est Cap. Quia per ambitiosam, de Rescriptis in 6. ibi: Quia per ambitiosam importunitatem petentium, tam Nos quam nonnulli Praedecessores nostri Romani Pontifices, Indulgentijs perpetuas multis concessimus. Et. Hinc mutationes frequentes circa disposita à Romanæ Sede, pro qua Bonifacius Octauus, qui & in nuper citato Capite locutus, sic ait: Statutum, quod circa indices à Sede Apostolica deputandos mper edidimus: cum quaedam contenta in eo, quae pro communis utilitate credebantur indulta, sicut experientia docuit, tendere dignoscantur ad noxam: Sanctione praesenti, quam irrefragabiliter obseruari mandamus, suadente utilitate, in melius duximus reformandam. Sic ille. Iuxta quae non obstant Apostolica concessione, alternatiua dictae possunt esse nociuae, vnde & supersedere ipsis illi possunt, ad quorum sunt instantiam impetratae. Pro quo Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 26. n. 106.

Cap. Per ambitiosam, de Rescrip. in 6.

Cap. Statutum, de ibidem.

Contentio circa praedicta quam prauidicialis.

Mag. Grijalua.

Dama factionum Religiosorum à Giryago reuocentur notandis Assertionibus.

ita validitati Professionis obstare, vt post quemcumque temporis lapsum, & habitus gestationem, neuiquam validetur; nisi Professus notitia habitae de nullitate Professionis, habitum Professorum per triduum portauerit, aut se actibus statim Professorum ingesserit. Quintum, Professum dictum post notitiam nullitatis Professionis, non teneri ex vi voti eam ratificare, sed ratione magni scandali in Ecclesia, vnde ad id potest à Religione compelli. Sic ille statuit: circa quod eruditè philosophatur, neque singulari iudicio innixus, sed grauium Scriptorum auctoritate munitus.

Indijs agrè applicari doctrinam de valore Professionis.

9 Illud autem quod habet nam. 74. quod scilicet si factionum pestis totum Religionis corpus non peruatit, Professio valida est, agrè potest Indiarum Prouincijs adaptari. Est quidem Professio valida, quia, vt ille ait, contractus celebratus à Nouitio in Professione non inuit cum tali Prouincia vt sic, sed cum tali Religione: corpus autem Religionis à tali morbo sanum extat, vnde voluntarium in Nouitio, quod ad valorem Professionis necessarium est, deceptione non tollitur, cum possit alibi quod promisit adimplere. Debent tamen illi, vt Auctor ait, sibi prouidere, & se à tanto periculo liberare. Atqui hoc in Indijs valde difficile est, vt quis nouas Prouincijs in Europa quaerat, qui de obligatione tali, cum Professionem emisit, neuiquam cogitauit: ignorantia enim inuoluntariam reddidit Professionem, si consequenter loquendum est: nam quod est valde difficile, & à vouente non prauiusum, valori Professionis obstat, sicut obstat ignorantia in ordine ad substantialia. Pro quo faciunt quae Scriptor idem habet. numer. 71. vbi sic ait: Quae autem censentur substantialia, vel quae reuocentur ad ea, ita vt error seu deceptio circa ipsa, Professionem inuoluerit. Consultae Doctores relatos (scilicet Ledesnam, Victoriam, Cardinalem Toletum, P. Sancium, & P. Suarium) Ad rem tamen nostram est, quando ingredienti & vouenti variatur in re notabilis propria existimatio, qua variatione cognita non vniuisset Nouitius; tunc error seu dolus inuoluerit Professionem. Ita Eminentiss. Inga de iustitia, Disput. 22. Sect. 7. n. 94. referens Sanchez. Idem dicit Suarez vbi supra. Et. Adducit deinde ex Clau Regia doctrinae praedictae confirmationem, dum ait Professionem fore nullam, si quis aliquem deciperet, affirmans in tali Religione non seruari ciborum delectum; nec ieiunium, aut quidpiam aliud difficile; quod si praenouisset, neuiquam vouisset. Tunc sic, si Professionem emittens cum ignorantia factionum, sciret se obligatum remanere ad mutandam Prouinciã, & per mare, per terras, nouam sibi esse Prouinciã conquirendam, non vouisset; quandoquidem minori impensã & periculo elicere aliam posset ex iis, quae in Indijs sunt, in qua arimae suae saluti consultum iri, posset sibi non agrè persuadere. Quis enim non videat rem esse difficillimam caelum adeo diuersum petere, navigationis subire pericula, & nouos hominum mores experiri? Id quod ex alijs, quae ibidem citatus Auctor tradit ex bonis & cum bonis Scriptoribus, satis potest efficaciter comprobari.

Error quidam do inuoluerit Professionem.

Giragus.

Pro Indijs applicata doctrina.

10 Ex iis autem, quae Dub. 23. 24. & 25. differit, difficultas praesens videtur posse magis in proprijs terminis enodari. Ait ergo Dub. 23. vbi factiones s

Ex citata Auctore difficultas enodata.